



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 168. Quis viro teneatur primò subvenire.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

ut una alteram notabiliter antecellat, *Suar. Bonac.*

*Castrop. Tamb. & alii.*

§. 12. Hactenus dicta intelligenda sunt, ceteris 730  
paribus uti recte notant *S. Th. Bonac. Castrop. & alii*,  
cujus exemplum dedimus n. 727. Similiter si pater  
esset homo crudelis, & mater benigna, mater abso-  
lutè posset præferri patri, & ita de aliis.

Q. 168. *Quis viro teneatur priùs subvenire*, 731  
*an Uxor, an Pater, an Filius. R. §. 1. Aliqui apud Dian.*

P. 10. T. 13. R. 3. dicunt patrem priùs teneri, quia  
qui genuit filium, etiam jure tenetur eum alere; sed  
communior est sententia cum *S. Thoma* in extrema  
necessitate priùs teneri filium succurrere patri suo,  
ratio est, quia æquè vicina est connexio naturalis  
filii ad patrem suum, quam patris ad suum filium,  
filius autem plus haber à patre suo, quam pater  
à filio, ergo est major obligatio naturalis  
filii erga patrem, quam patris erga filium: quod  
si uterque vellet persistere in sua opinione probabili  
sibi favente & se deobligante à succurrente priùs,  
onus in utrumque esset dividendum, uti docet  
*Tamb. L. 5. c. 3. §. 2. n. 11*, aut per Judicem alteruter  
cogendus esset, prout ex circumstantiis videretur  
æquius. Nec obstant dicta n. 704. Nam non videtur  
hic esse par ratio, cum incertitudo non causetur  
per delictum, sed ex natura rei.

§. 2. In extrema necessitate, si desit filius, 732  
pater tenetur priùs subvenire, quam uxor, quia  
coniunctio naturalis, quæ est inter patrem & filium,  
magis est intrinseca, ideoque etiam post se trahit  
majorem obligationem ad conservandum esse filii,  
quod pater genuit, quam civilis tantum &  
extrinseca coniunctio uxorius, quæ illud esse mariti  
non genuit, ergo nec ita arcte obligatur vindicare  
ab interitu.

§. 3.

733 §. 3. In communi necessitate tenetur uxor prius subvenire marito, quam pater vel filius, quia in communi vita vir & uxor sunt unum, & tanta est inter eos conjunctio, ut debeant se semper comitari & adesse, ergo etiam ad ipsos primò spectat ad invicem levare difficultates communes in quotidianis casibus occurrentes.

734 Q. 169. *Quomodo liceat marito uxorem percutere?* Gobat in Exp. T. 10. n. 773. habet sequentia: *Observo non videri objurgatione dignos maritos, qui plebejas (etenim inter has & nobiles facio discrimen cum Castrop.) uxores, ebriosas aut sectantes consortia suspecta, post gravem increpationem bis terve frustra factam ita castigant fuste vel pugnis, ut sensus doloris duret ad 4. aut 5. dies: è contrà Steph. T. 4. D. 6. n. 7. dicit maritum raro uti debere verberibus, & in casu necessitatis magis moderatè; quod etiam habet Busenb. relatus n. 708, & ipse met Gobat in Quin. T. 5. c. 29. Sect. I. etiam mollius loquitur, nam docet in hunc sensum, verba, quibus uxorem corripit maritus, possunt quandoque continere convitium & contumeliam materialem, uti habet S. Th. 2. 2. q. 72. art. 2. ad 2, sic enim Christus vocavit Discipulos stultos, *Apostolus Galatas insensatos*; non debent tamen continere formalem, id est, non debent proferti ex intentione inhonorandi, quamvis in se contineant inhonorationem, uti rectè S. Chrysostomus. S. Th. Tol. Regin. & alii: item non debent continere infamiam, quia uxor non cessit Juri ad famam, S. Thom. Navar. Covarr. Lesf. Molin. Filii. Unde communiter peccant mortaliter mariti, qui uxores valde honestæ familiæ temerè vocant sagas, meretrices, adulteras; aliud est, si plebejas, haec enim communiter talia non curant, nisi re ipsa putarent serio*